

TRACTATUS PRIMUS  
DE CORPORIBUS GENERATIM CONSIDERATIS

QUAESTIO I.

*De rerum naturalium principii intrinsecis,  
seu de essentia corporum.*

QUAESTIO TRACTANDA ADUMBRATUR. In litigiosa et plena concertationum controversia de essentia corporum investigandum venit, an corpora quae integrantibus ac veluti materialibus partibus evidenter coagmentata ipsi oculorum conspectui apparent, quoad ipsam naturam et essentiam sint composita vel simplicia: aliis verbis, an constent uno vel multiplici principio eorumdem essentiam intrinsecus constituente. Qua in re inter veteres philosophos, uti ex Aristotele accepimus, magna exstitit opinionum discordia, acerrimumque certamen, quod in recenti aetate iisdem pene verbis et eadem forma renovatum est. Quidam enim tuentur, corpora constare unico principio essentiali, ideoque quoad essentiam esse simplicia, et consequenter in suo esse substantiali et specifico immutabilia. Alii ex adverso propugnant essentiam corporum esse concretam ex duplici principio, altero determinabili et actuabili, altero determinante et actuante ad esse substantiale. Hinc primi decernunt, corpora non esse nisi aggregata et complexiones substantiarum simplicium et in suo esse immobiliter permanentium; quo ex dogmate concludunt, negandam esse veram substantiarum transmutationem et diversitatem, omnesque vicissitudines ac mutationes quae sensus percellunt, non esse nisi accidentales. Contra alii defendunt, quodlibet corpus esse substantialiter unum, essentia compositum, et in sua substantia transmutabile, veramque dari novarum substantiarum generationem, et existentium corruptionem.

Iam vero tum philosophi qui unitatem, tum alii qui dualitatem principiorum naturae corporalis propugnant, in quaestione enodanda vehementer inter se discrepant, et in multiplices scinduntur sententias. Qui enim affirmant, corpora non esse nisi aggregata substantiarum

elementarium, in huiusmodi elementis assignandis maxime inter se sunt discordes, cum aliqui censeant, elementa esse unius naturae, alii ex opposito doceant esse diversarum naturarum, et ea revocent vel ad duo, vel ad quatuor, vel ad infinita. Iterum quidam docent, talia elementa esse extensa, alii vicissim arbitrantur, ea esse inextensa et prorsus simplicia. Simili modo, qui duo essentialia corporum principia tuentur, nempe *materiam primam* et *formam substantialem*, in explicandis his principiis, et eorumdem substantiali compositione et unitate, diversam ingrediuntur viam et dissimilia tuentur placita, licet conveniant in communi dogmate statuente, corporum essentiam esse concretam ex materia et forma.

Quam ad rem ut ordine et via procedamus in quaestione hac enodanda, relictis secundariis differentiis, omnia systemata quae a philosophis sive veteribus sive recentibus prolata sunt, ad tria potissimum revocabimus; scilicet ad Atomismum, ad Dynamismum, et ad systema Peripateticum seu materiae et formae. Horum systematum ortum, historiam, formas, fundamentalia principia, quantum brevitatis nostrae tractationis patitur, explicare diligenter tentabimus.

ARTICULUS I.

DE VETERUM PHILOSOPHORUM PLACITIS CIRCA ESSENTIAM CORPORUM.

CAUSA ET ORDO DIVERSARUM SENTENTIARUM. Cum scientia sit rei cognitio per causas, philosophi generatim, qui ab ipso scientiarum ortu de natura philosophati sunt, omne studium contulerunt ad inquirendas rerum visibilibus causas, et ad scrutanda earumdem principia. Iam vero intellectus humanus in praesenti statu non potest quidquam intelligere, quin adiuvetur externo sensuum ministerio ipsi praebente corpora singularia et sensibilia, quorum naturas percipit secundum quidditatem abstractam a materia et a materialibus conditionibus. In hoc autem, uti ipsa experientia testis est, ab imperfecto ad perfectum sensum et pedetentim progreditur, et ideo primi Naturales cum investigare coepissent principia rerum corporalium, causas dumtaxat materiales assequuti sunt, quas numero et ratione diversas assignarunt; alii postmodum ad causas efficientes; alii demum ad causas formales tradendas pervenerunt. De omnibus pauca capitulatum memorabimus.

I. Thales unus ex septem sapientibus, qui philosophiae speculativae princeps habetur, quia solus e septem ad scrutandas naturas rerum se applicavit, primum principium, unde omnia exorta sunt, posuit esse aquam; Anaximenes et Diogenes docuerunt esse aërem;